



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 134. Ancræi Marescalli Domus a Parisino populo vastata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](#)

Sæc. XVII.  
A.C. 1616.

§. CXXXIV.

*Ancrai Marescalli domus a Parisino  
populo vastata.*

Summum, quo cuncta gerebantur, silentium haud præpedire poterat, quo minus illico fama ad Vindocinum, Mayenium & Bullionium deserretur, qui alieno periculo cauti Parisiis in suarum quisque sedium munitiora loca dilapsi sunt. Permansit in Regia Dux Rohanus, qui ob hoc ipsum auctor mali creditus est, eoque magis, quod in custodiam abducto Condæo, qui eidem casu prætereunti calamitatem suam ingerebat, hæc respondisse feratur, *Laudo tui fati Authores, quia mihi pro jure legitimo est, quodcunque Regina sufferit.* Subscripsere etiam Principis detentioni Calvinistæ, quamquam amplam in dissidium segetem inde colligerent. Demum Condæus in Bastillam traducitur, ubi paulopost selecti ex Consilio Viri capto exponunt, innotuisse Regi prava Bullionii & Mayenii consilia, quibus Rex & Regina per structas vitæ utriusque insidias peterentur, id si ipse fateatur, non modo ei tanquam Principi malis artibus fascinato parcendum, sed & mox liberandum; Ad hæc Condæus ingenii acie, qua pollebat, respondit,

se

se ita natum esse, ut non alibi, quam Sæc. XVII.  
in Parlamento convocatis Franciæ Pa- A.C. 1616.  
ribus judicari posset; instantibus autem  
hisce Judicibus, si eos tanquam Judi-  
ces recusaverit, nulla habita Personæ  
ratione in ipsum, ejusque Socios le-  
gum severitate processum iri, Condæus  
intrepide ita respondit: *si ita judicer, sa-*  
*tius est Sicarium unacum Sacerdote immitti,*  
*ut per hunc animam Deo, per illum vitam*  
*Regi committam; sic violentia, quæ incar-*  
*cerationi principium, vitæ quoque finem da-*  
bit. His dictis obmutuit, paulopost Ba-  
stilla in Vicensi nemoris honestiorem re-  
cessum translatus est, eoquod ejus uxor,  
quæ cum ipso ad Bastilliæ carceres ad  
initium sequentis anni capta abduce-  
batur, grava, brevi paritura esset.  
Ubi vero rumor de illata Condæo vi  
per urbem pervaferat, Tremollia ejus  
Mater, aliique Nobiles, quorum in-  
tererat salvum habere Principem, cives  
ad arma concitarunt. Sparguntur ab  
aliis temere, ut fieri amat, murmura,  
vocesque incertis auctoribus, Condæum  
subornatis ab Ancræo sicariis in ipsa  
arce Regia trucidatum fuisse. Ea vox  
tantam in populo concitabat indigna-  
tionem, ut campanæ pulsarentur, quod  
fieri non solet, nisi in publico incendio,  
vel hoste urbi vicino, aut civitate in-  
testinis dissidiis laborante. Primos e-  
qui-

Sæc. XVII. quidem tumultuantum motus compo-  
 A. C. 1616. nebat Magistratus Parisini dexteritas;  
 postridie nihilominus prævaluit dira in  
 prædam libido, Principis vindicandi  
 obtentu coniecta; audito enim Ancræi  
 nomine, factiosi quidam eum omnia  
 mala perpetrasse judicabant, quia illum  
 omnes odiisse noverant; hinc lymphatis  
 haud absimiles ad Ancræi Palatium con-  
 cursitant, illudque ferro, dolabris,  
 asciis, & stipitibus invadunt, & ariete,  
 saxisque portas effringunt, subruunt,  
 atque irrumpunt, tectum ipsum plum-  
 beis laminis nudant, interiora conclau-  
 sium effringunt, diripiuntque, aurum,  
 & argentum cusum ac rude afferunt,  
 ponderis utrumque maximi: gemmas  
 item & uniones immensi pretii, peri-  
 stromata, vestiarium universum Mar-  
 chionis, suæque Conjugis, suppellecti-  
 lem demum omnem, quaquaversus in-  
 structissimam, aut destruunt, aut diri-  
 piunt, hortum etiam & viridarium, e-  
 quile, ceterique generis stabula de-  
 struunt, ac vix non domum ipsam fun-  
 damentis suis evellunt.

Nec satis hæc hactenus; altera e-  
 nim die ad ædes Corbinelli, quem a  
 consiliis arcans Ancræus tunc habebat,  
 insanorum conversa vis est, omnesque  
 literæ, libelli, atque epistolæ disceptæ,  
 cunctaque utensilia disjecta, raptæ, de-  
 structæ

fructa sunt, ac vastata. Nec valuere Sæc. XVII.  
 contra tantam tot furentium rabiem A.C. 1616.  
 ullæ dehortantium preces, non arma-  
 torum oppositæ comminationes. ac  
 magistratum quidem urbicorum im-  
 missa satellitum agmina, quæ ductore  
 suo glande plumbea trajecto, confestim  
 dilapsa sunt. Tandem vero Crequius  
 cum Prætoria Regis cohorte accurrens  
 tumultuantum furorem compescuit.  
 Ceterum trecentis millibus aureorum  
 æstimata sunt dispendia fortunis illata  
 Ancræanis. Altero mane Guisius Dux,  
 & Cheuvreusius urbe profecti, ad Du-  
 cem Mayenium prope Augustam Suef-  
 sionum concessere, Præfides quoque,  
 ac Consiliariorum nonnulli auffugerunt,  
 deserto populo, qui belli civilis metu  
 in ancipiti hærebat, paulopost tamen  
 animo erectus, dum præconis voce de-  
 nuntiatum, nullatenus subesse, quod  
 metueret.

### §. CXXXV.

#### *Franciæ Regis edictum contra Con- dæum Principem.*

Iterata hæc Procerum fuga novorum  
 tumultuum ac defectionum metum  
 ingerebat; quo circa Rex die sexta Se-  
 ptembris Curiam accessit, ibidemque  
 cauſas, ob quas Condæum custodiæ  
 dari